

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS PHYSICO - MEDICA
DE

GRAVITATE AERIS EIVS-
QVE ELASTICITATE
IN
MACHINAM CORPORIS HVMANI

FAVENTE NVMINE DIVINO
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE
ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME ADIMPETRANDO

Ad. d. Junii Anni MDCCXXXIII.

H. L. Q. C.

PVPЛИCAE ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOНIT

AVTOR

CHRISTOPH. CHRIST. HOFFMANNVS
SCHLEVSINGA-HENNEBERGICVS

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI , ACAD. TYPOGR.



CELSISSIMO AC PER-ILLVSTRISSIMO
DOMINO,

DOMINO
CAROLO GVSTAVO
DE REDER,

S. R. J. COMITI ET ORDINIS
STI HVBERTI

EQUITI

GRATIOSISSIMO MEÆ FORTVNÆ
PATRONO.

CELSISSIME AC PER - ILLV.
STRISSIME
DOMINE COMES!



Vum CELSISSIMAM TVAM,
DOMVM, ad optima ibi capi-
enda hyberna, tanquam miles
Hippocraticus, post innumeras
exandlatas acrumnas, ante ali-
quot annos ingressus fui; haud
interrupta TVA GRATIA, PER - ILLVSTRIS-
SIME COMES, dein factum est, ut apud TE,
spreta a TE iniquorum erga me invidia, quæ in-
divulsus fortunæ comes est, hucusque persistere
adversamque fortunam licito eoque felici circum-
ire dolo, potuerim. GENEROSISSIMÆ TVÆ
INDOLI, in omnes, auxiliū egenos, TVA consi-
lia,

lia, studia atque opes liberalissime conferre, innatum est; hinc TE tota Silesia ut BENIGNISSIMUM ac CLEMENTISSIMUM COMITEM laudibus exornat dignissimis. Novi quamplurimos, qui per TE felicissimi praedicandi sunt, in quorum numerum me in primis referendum esse, publice profiteor. Iro enim pauperior ad TE accessi, sed insignis TVA BENIGNITAS, cui immortalem debo laudem ac gloriam, infinitis me accumulavit beneficiis. SOLI ergo GRATIÆ TVÆ omnem fortunam acceptram refero, nec Honores Doctorales, nisi per TVA SVBSIDIA mihi aequiro LARGISSIMA, quæ fors rarissima paucissimis, quamvis officiis suis studiofissime fungantur, hodiernis contingit temporibus, quum non omnibus, DOBRAM adire, datum sit. Officia, quæ PER - ILLVSTRISSIMÆ TVÆ PERSONÆ alacri semper præstiti animo, levia fuerunt nec unquam SPLENDIDISSIMA TVA digna REMVNATIONE. Sed TIBI, me antea erantem, felicem reddere, iubuit hinc versum sæpissime recordatus sum: Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. In votis ergo habeo ardentissimis, ut Deus, qui omnia largissime remuneratur beneficia, CELSISSIMAM TVAM PERSONAM CVM DOMO TVA PER-ILLVSTRISSIMA in perpetua eaque incolumi sanitate in Nestoreos conservet annos, quo aliis, TVA GRATIA

GRATIA indigentibus, liber aditus ulterius concedatur. Ad hæc clementer respice atque accipe leve hoc ingenii mei opus, quod saltem grati animi præ se fert speciem; quum, aliis æquivalentibus GRATIÆ TVÆ INFINITÆ respondere, non valeam. Pro qua non satis laudanda CLEMENTIA cum omni venerationis genere adcincta usque permansurus sum

**CELSISSIMO AC PER-ILLV-
STRISSIMO
DOMINO COMITI**

Dabam Hale die Junie
M.DCC.XXIII.

humilissime deditus

CHRIST. CHRIST. HOFFMANNVS.



DISSESSATIO IN AVGVRALIS PHYSICO - MEDICA
DE
GRAVITATE AERIS EIVS.
QVE ELASTICITATE
IN
MACHINAM CORPORIS HVMANI.

§. I.



Raxis medicæ quum fulcra
sint Ratio atque Experiensia; quilibet,
artem salutarem exercens, muneris ne-
cessitate adstringitur, ut mutationes ac
phenomena, tam in, quam extra sy-
stema corporis humani occurrentia,
non solum attendat atque observet quam diligentissime, sed
in eorum etiam ope ingenii atque judicij rationes ita inqui-
rat, ut effectuum causas secundum omnes circumstantias re-
flectendo ac dijudicando bene habeat exploratas, nec un-
quam, aliquid esse aut fieri sine ratione sufficiente, pueriliter
credat.

A 2

§. II.

§. II.

Sereno eoque quieto existente cœlo, animum, negotiis delaſtatum, recreandi gratia sive equo currente sive pedibus velocioribus quispam certum absolvat ſpatium; ſub hoc corporis motu in cutis denudata superficie impulſum a re quadam, viſus ſenſum fugiente, in aſorem vel minorem pro celeritatis aucto vel diuinito gradu, eum percipere, experientia eſt. (§. I.) Atque hic impulſus non ſolum cœlo a nubibus libero apparente, ſed ubi viſis etiam locorum ſeptitur.

§. III.

In conclavi acceleratis moveat ſe homo versus elychnii flammam paſſibus, ubi illius directionem corporis inviſibilis impulſu (§. 2.) ita mutari, ut non amplius ſub conſcendat forma, ſed oblique magis ad latera diuerſimode ſteſtatur, obſervabit. Pari ratione ſi contra pilorum vel rafraſcalami ſcriptorii fasciculum celiter moveatur manus, illorum motus versus oppofitum fieri latus, obſervatores non fugit. Idem effectus in aranearum telis, plumeolis, chartulis aliisque corporibus tenuioribus, rarioribus ac levioribus, iis, minima non contemnentibus, nunquam non ſete mani- feſtabit.

§. IV.

Ex quibus (§. 2. & 3.) neceſſario ſequitur, illud, quod viſui noſtro ſete subducit, per quod noſtra libere movemus corpora & quod impellit, inviſibile & fluidum eſſe corpus, quod a Phyſicis AER vocari ſoleret.

§. V.

Maximi momenti proprietates aeris eruditis prioribus fuerunt ſeculis ignota. Postea vero quam *Antliam Pneumaticam*, ab OTTO GVERIKIO ſeculo anteriore inventam, inter accepta referimus, ea, maximam in rem Phyſicam & Medicam afferentes utilitatem, ſequentibus ſunt temporibus detextæ.

§. VI.

§. VI.

Si vasis metallici, artificis manu confecti, & coni inverti-
si & abscessi referentis formam, superius orbe vitreo non ob-
tegitur lolum orificium, sed peripheriae etiam tam vasis, quam
orbis interstitia ceræ sevique ovillini commixtione obducun-
tur, inferius vero angustius apertum relinquuntur sicutque *An-*
talic Pneumaticæ applicatur, nullam exinde *in vitro* fieri mu-
tationem, sed immobile permanere, experientia (§. I.) nos
docet. Cuius ratio (§. I.) in fluidorum æquilibrio unice
quærenda. Columna enim aeris, in vase inclusi, vitrum tan-
ta sursum vi, quanta exterior, idem circum ambiens, deors-
um premit, ergo frangi non potest. Quamprimum vero
æquilibrium, una aeris columnæ diminuta, tollitur, altera a-
gere non desinit. Quam assertionem in veritate niti, quem-
libet experimento experiri licet: aerem ex vase, vitreum ha-
bente operculum, una vel altera vice exantlando quis dimi-
nuat; sensibus mox percipiet, illud in inumeras, eo cum fra-
gore, ac si quis scopulum explodat, dissipare partes, & quam-
vis ictu mallei illud disstringatur celerrimo, nullatenus tamen
talis excitari poterit sonitus.

§. VII.

Susp Vitreus porro sumatur globus per quem cylinder angu-
stioris spatii transfigatur, hic vero in ingressu epistomio, ad id
adaptato, muniatur, quo exterius cylindri orificium pro lubi-
tu claudi atque aperiri possit. Aer, vitrea in sphaera contem-
nitus, evacuetur, dein cylindri orificium in vas, aqua plenum,
immergatur, quo facto, aer, aquæ incumbens illiusque su-
perficiem premens, præstat, ut aqua per orificium inferius in
cylindro ascenda & per superiorius sub fontis salientis forma in
globum, aere vacuum, maxima cum violentia ac celeritate
juvendissimo aquam quaquaverum dispersat spectaculo, ita,
ut rerum physicarum ignari ideo in admirationem veniant.

A 3

Conf.

Conf. NIEVVENTYT de l' Existence de Dieu Liv. II. Chapit.
I. p. 187.

§. VIII.

Duo, cylindri incurvati mercurio adimplete, crura, in vas quoddam, cui mercurius innatet, immissa, campanæ committantur, ubi, post unam aeris extractionem mercurium in siphonis vertice utrinque divelli, cernes, atque si, aeren ex campana evacuando, perges, sensibiliter tamdiu descendet, donec mercurius, omni exantlato aere, in erubus siphonis cum mercurio, in vase contento lineam sifstat horizontalem.
Conf. HAMBERGERI Elementa Physices C. VI. de aere §. 202.
n. 4. p. 143.

§. IX.

Mercurium in Barometro sive MORLANDINO, BERNOVLLIANO sive HVGENIANO 27. 28. 29. 30. aut 31. digitorum exhibere altitudinem, experientia (§. I.) convinxit, cum tamen oporteat, ut descendat & planum cum mercurio, capaciore in vase contento, constituat, sed infra digitorum istorum non descendit altitudinem, nisi sub campana aer, barometron ambiens, exfligetur, ubi æque, uti mercurius (§. 8.) in cylindro incurvato, sese demittit.

§. X.

Ergo Physici ope Antliae Pneumaticæ (§. 5.) perscrutati atque experti sunt, aeris columnnam (§. 6.) sicuti aquam non deorsum solum premere, & corpora sublatu aeris æquilibrio, frangere, verum aquam etiam per canalium altitudinem in spatia, ab aere vacua (§. 7.) violenter impellere atque in cylindrīs incurvatis (§. 8.) & Barometris (§. 9.) mercurium suspendere.

§. XI.

Ex dictis (§. 10.) ergo prima aeris proprietas h. c. GRAVITAS patet. Atque cum omne corpus partes extra se positas habet, quæ illius specificam constituunt gravitatem, aer vero corpus est, (§. 4.) ergo, quod gravis sit, sequitur.

§. XII.

§. XII.

Varij a Physicis, aeris indagandi gravitatem docentur modi, sed pluribus unicūm, a *Preceptore* quondam meo Dn. D. ac Prof. HAMBERGERO, i^ssigni Academie Jenensis ornamento, cum cucurbita vitrea, paulo majorem habente diametrum, in *Elementis suis Physices C. VII. de aere* §. 325. p. 145. s. exhibitum, praeferendum esse, existimo. Curiosorum quilibet eius imitari poterit experimentum, si nimirum cucurbita, ab aere sub *Antlia Pneumatica* evacuata, uni imponatur lanci, in altera vero tantum pondus, quantum ad æquilibrium conficiendum sufficit, adhibetur & postea irruptioni aeris, remoto epistomio, in cucurbitam liber concedatur aditus, quo irruptionis momento cucurbita pondus descendendo accrescere, alterum vero in altera lance ascendendo diminui, observabit. Conf. WOLFI *Phys. Experim. T. I. c. 5.* §. 136, p. 327. *ii. §. 86.* p. 153. s.

§. XIII.

Si colli sphæræ satis amplæ orificium in radice montis epistomio clauditur atque in cacumine illius epistomium removetur, admota plumula ab orificio latere extrorsum dirigitur, contrarium vero fit, si, clauso in cacumine montis orificio, in radice montis epistomium aufers: nam eo, quo extrahitur epistomium, tempore plumula introsum vergit. Conf. cit. *Elem. Phys. HAMBERGERI C. VI. de aere* §. 280. p. 129. Quale experimentum datis sub conditionibus omni tempore, omni loco & regione infallax deprehenditur ejusque ratio comprehensu non est difficilis. Ponamus aeris columnam in radice montis incipere inque illius cacumine finiri, nec non in quatuor partes æquales eam divisam esse. Inferior igitur columnæ pars magis premitur & coarctatur, quam secunda, hæc magis, quam tertia &c. Ergo superior columnæ pars aeris minus compressa & coarctata est, hinc levior

levior minorique vi resistentia praedita, quum e contrario inferior, magis compressa ideoque majori vi resistentia polens, quin & ponderosior & gravior dijudicanda. Quarē aer in radice montis in sphaeram inclusus, in vertice illius, ubi aer rario, remoto epistomio, minorem aeris inveniens resistentiam, egreditur, quod aer in cacumine montis exceptus in radice illius præstare non potest. Remoto enim epistomio, aer exterior magis compressus, ponderosior & gravior minus compressum & leviorem inclusum in sphaeram irruendo magis comprimit, coarctat & cum eo spatia occupat.

§. XIV.

Una aeris demonstrata proprietate h. e. *Gravitate* (§. 6-13.) altera nunc experimentis evinci debet. Quæcumque vesica, per calatum sive alium inflata tubum, dein vero manuum compressione ab aere ita evacuata, ut collapsa appareat, ejusque latera seinvicem, exceptis minimarum plicarum lateribus, tangant, *Antliae Pneumaticæ campanæ*, ope filii, collum vesicæ arctissime constringentis, hamo affigatur, ut liberæ inibi fluctuet; tunc retroso per vices cylindri embolo, aer, vesicam ambiens, ex campana foras propellatur, qua aeris extractione fit, ut aer in vesica paucus, sublata exteriore resistentia & compressione, vesicam non aliter dilatet, ac si illa ab aere per tubum inflaretur conf. WOLFI *Phys. Exper.* T. I. c. 5. §. 83. p. 143. ss. & cit. NIEVVENIYT L. II. Chap. I. p. 180.

§. XV.

Si ex carpione vesica extrahitur illaque in notabili distantia ignis admovetur flammæ, membranae illius ab inclusa aere calefacto mox non sensibiliter modo expanduntur sed uno etiam vel altero temporis momento cum fragore disrumpuntur. Idem quoque cum vesica suilla, bovina, vervecina aliisve tentare licet. Quod si enim vesica collapsa pauca aeris immissione inflatur, dein collo ejus madefacto

eo filo cautissime obstricto, carentium carbonum, illam perpetuo in gyrum vertendo, admovetur calori, calefactam, non aliter ac si exterior aer exantlatus esset, intumescere vesicam animadvertis. Quando vero illa frigidum in locum reponitur, ibique detinetur, sensim subsidente iterum complicatur. Quum igitur vesica nil nisi aer immissus ibique inclusus insit, aerem solum vesicam expandere posse, quilibet mente comprehendit. Atque aer, quando calefit, quum vesicam expandat simili plane modo ac si aer in illam cogatur, non potest non esse, quam ut calore aeris partes ejusque interstitia dilatentur. Calorem ergo aerem rarefacere, expandere ipsique majus conciliare spatium, ex iam positis patet. E contrario quum vesica, a calore ignis remota, contractetur, aer, dum frigescit, angustius occupare debet spatium; hinc eundem condensari, clarum est. Quoniam autem aer calore expansus non adeo facilis negotio, uti frigidus, vi experientiae, comprimitur, illius resistentia ac vis calore quod angeatur, frigore vero diminuatur, sequitur. Conf. WOLFII *Phys. exper.* T. I. C. 5. f. 133. p. 339. ss. Adde magna aeris in vesicam intrusionē & compressionē, qua ejus vis maxime augetur, nullus adhuc Physicus quamvis experientissimus ejus disruptionem hactenus obtinere potuit. Conf. WOLFIVS c. l. §. 129. p. 325. f. Contrarium vero experimur in vesica, ab aere calidissimo expansa, quæ, disruptis membranis, liberum aeris permittit exitum conf. cit. WOLFIVS §. 133. Ex quo iterum notum est, vim aeris calore augeri. Nec perceptu difficile est, quod, si unus aer calidus, alter vero frigidus sit, ab eodem pondere eandem minime sustineant compressionem, quod calidior minorem, frigidior vero majorem patitur compressionem.

§. XVI.

Quum paucus in vesica collapsa præsens aer ante aeris exterioris exsuctionem vesicam non expandat, post illius ve-

B

ro

ro extractionem & rarefactionem (§. 14. & 15.) vesicam min-
rum in modum turgescere finat, concludere omnino licet,
aerem in vesica collapsa, ante aeris exterioris diminutionem
atque ablationem, compressum atque in statu fuisse violento.
Illud igitur, quod in statu violento compressum est, & sepe
ablata resistentia, expandit, est corpus elasticum. Atqui aer
in collapsa vesica in statu violento compressus est &, ablata
resistentia aeris exterioris, sepe expandit; Ergo aer est cor-
pus elasticum. Hinc altera aeris proprietas ELASTICITAS
est. Hinc ex datis aer apprime definiri potest: Quod sit
invisibile & fluidum corpus (§. 4.) GRAVITATE (§. II.)
atque ELASTICITATE (§. 16.) gaudens.

§. XVII.

Ex aeris definitione (§. 16.) non sine ratione deducitur,
aeris particulas juxta fluidorum naturam 1) sphæricas & 2)
intus cavae esse. Aer enim nec fluidus nec elasticus esse
posset, nisi ejus particulae sphæricæ intusque cavae existent;
quippe ramosæ (wie Pflaum, Federgen) & spirales, quas
nonnulli aeri assignant, fluiditati aduersantur. Cavae vero
aeris esse debent particulae, cum aer a vi exteriore compri-
mi atque expandi (§. 14-15.) sola resistentia ablata possit. Er-
go particulae aeris solidæ esse nequeunt. Si enim solida essent,
non comprimerentur, sed comprimuntur, vi experientia; hinc
sunt cavae vel intus sunt fibræ vti in spongia, & fibræ haec mini-
mam rotundam constituant particulam.

§. XVIII.

Nec minus ex aeris proprietatisbus (§. II. & 16.) nullum
in superficie terræ locum ab aere vacuum esse, sed illam ae-
re ubique abundare, manifestum est. Et quamvis eiusmodi,
nescio quem terræ locum statuere vellem, aeri tamen, in vi-
cinis undanti regionibus, nihil quum resistat, non ob gravi-
tatem solum iuxta omnium fluidorum corporum indolem at-
que naturam, verum etiam ob vim elasticam (§. 16.) is sepe
ibi

ibi moveret, sese expanderet ac tamdiu illuc irrueret, donec sua gravitate atque elasticitate aeris vicino resistendi potentia valeret. Ejusmodi terrae locus, ubi nullus aer esse singitur, cum vase, ex quo aer exantlatus est, comparari potest. Sicut enim aer exterior in illud celerrime prolabitur, usque dum aer, in vasis contentus spatio, gravitate atque elasticitate est exteriori æqualis, idem in globo ut fiat terraquo, si fortasse in quadam aer esset regione ablatus, necesse est.

§. XIX.

Hinc aer est fluidum terræ universalissimum (§. 18.) Omnia enim, vi experientia, replet spatia, ergo omnibus vegetabilibus, fructibus, lapidibus, reptilibus, insectis, brutis, hominibusque inest, nec ullum animal, quod vivere dicimus, sine aere vitam ad notabile temporis intervallum sustinere valet, sed aere exteriore sublatu, brevi post morti succumbit, id quod experimenta physica omnes, qui lectionibus physicis experimentalibus in Academiis interfuerunt, ad oculum convincunt. Quodsi enim bruto, quocunque tale sit, aer sub campana ausertur, pro aeris exsunctionis multiplicatione, varias oculorum rotationes omniumque membrorum contorsiones ac tortuosas flexuras, quin & omnium vasorum sanguiferorum videre licet tumescientiam, usque dum, omni aere remoto, exspire. Si autem animal non interficiendi voluntas tibi erit, pro aeris diminutione ejusque reiterata immisso mox illud agonizari mox resuscitare poteris.

§. XX.

Fluidi hujus catholici (§. 18. & 19.) beneficio, quod mediante saliva, ciborum potuumque ingestione, nec non peculiaribus vasorum, in cutis cortice terminatorum, osculis in vasa nostra attrahimus, inque his cum sanguine, lympha, fluido nerveo reliquisque humoribus commiscemus, omnes corporis actiones vel vigent vel prosternuntur: quare homines

mox bene valent, mox ægrotant. Acer igitur quum tantam vim, potentiam atque actionem in nostra exerceat corpora, merito in Pathologicis primus ordo rerum sex non naturalium ipsi debetur, nec ulla tam in Physicis, quam Medicis doctrina huic de aere jure palmam præcipere potest. Quare & hæc omnibus medicinæ cultoribus in vitæ Academicæ ingressu sedulo inculcanda, ut præ reliquis hanc sibi commendatam habeant, quod in praxi, cum morbis sæpius difficultimæ curationis citius, quam remedia præstantissimæ alias virtutis mederi posse, experimur. Attamen sicuti aer purus, temperatus atque elasticus corporis sanitati vitæque inservit diuturnitatem; ita & impurus, nimis frigidus, pluviosus, nebulosus, squalidus & gravis naturali corporis constitutioni adversatur; qua mutata, morbo corpus affligitur.

§. XXI.

Sana corporis naturalis constitutio, qua omnes corporis nostri partes suas decenter peragunt operationes, ab anni temporumque vicislitudinibus mirum in modum alteratur, ita, ut alii morbi hyeme, alii vere, alii æstate, alii denique autumno suum vulgo prodant typum; nihil tamen secius quodlibet anni tempus hominibus commoda sua atque salubritates affert, quæ ratio ex aeris, temperamentorum, sexus atque ætatis natura unice petenda est. Hinc homines in juventutis flore constituti ac robusti melius frigus, quam senes atque infantes perferunt: hi enim citius, isti minus frigore ægrotant.

§. XXII.

Eo tempore, quo sol Capricorni signum attingit, vel a Tropico Australi versus æquatorem moverur, borealis hæmisphærii incolæ, hyemem adesse, dicunt. Sol hyeme a nostra plaga boreali temperata quum sit remotissimus, non radii solum solares per vastissimum aeris spatum maxime oblique in terræ superficiem cadunt, verum eorum partes etiam ignea

igneæ necessario quamplurimæ partim in aere retinentur, partim pauciores, quæ in terram cadunt, a frigida absorbentur terra. Atque ab levibus paribus igneis, quæ caloris gradus sunt causa, statim frigus præsto est.

§. XXIII.

Quamvis autem vis radiorum Solarium crescat, ideo tamen calor non crecit: mense enim Januario & Februario vis radiorum crescit, sed calor decrescit, quibus mensibus, vi experientia, frigus est intensissimum. Ergo distinguendum est inter vim radiorum solarium & calorem ipsum, qui ex ratione (§. 22.) non potest non abesse.

§. XXIV.

Hyeme (§. 22.) quo minori in quantitate partes igneæ in aere adiunt, eo intensius frigus esse debet; quo frigus est intensius, partes igneæ e fluidis in frigida eo citius transeunt loca, istis egressis, hæc motum amittunt, condensantur & coagulantur. Aqua enim fontana, acetum, cerevisia, aliaque fluida, amissis hyeme partibus igneis, coagulantur, atque amittunt fluiditatem. Eodem modo cum corporis nostri fluidis res sese habet, ex quibus pro minori vel majori frigoris gradu vel pauciores vel plures igneæ partes, quæ ipsis fluiditatem conciliant, amittuntur, adeo, ut vel incrassentur, condensentur minusque mobiles fiant, vel intensissimo coagulentur frigore, quo omnis humorum circulatio atque cum hac cessante vita sufflaminatur.

§. XXV.

Frigus hyemale, cui homines corpora sua præter consuetudinem diutius sapere exponunt, sanitati perniciosissimum est. Partes enim igneæ (§. 24.) tam e pulmonibus, quam tota corporis nostri superficie in aerem, nostrum cingentem corpus, si se movent frigidum, ibique dissipantur, quibus in aerem dispersis frigidum, nostri corporis diminuitur calor,

diminuto hoc, corpus nostrum frigus subit, frigus autem subsequitur in tota corporis humani superficie insensibilis transpirationis intermissio, qua partes salinae, sulphureae serotaeque, in vita salutem e corpore eliminandæ, retinentur, massæ sanguineæ omniumq; humorum condensatio contingit; hinc motus istorum sit lentior, particulae sanguinis non satis conteruntur, triturantur ac diminuuntur; hinc maior partium terrestrium cohaesio, maior vasorum in primis extreborum obstructio, nec non influxus & sanguinis & fluidi nervi in musculos ac viscera inæquales proveniunt.

§. XXVI.

Diminutis partibus corporis nostri igneis atque impuris retentis particulis salsis, sulphureis ac serosis, partium solidarum & fluidarum nutritio, quæ succis sit congruis, gelatinosis ac temperatis nullumque gustum habentibus prædominantem, insigniter laeditur, presso hinc pede actionum naturalium sequitur laesio, lesis vero actionibus naturalibus, motus quoque vitales, in eordis atque arteriarum diastole & systole, thoracisq; dilatatione & constrictione consistentes, salvi diu nequam esse possunt, unde quamplurima morborum genera tam acutorum, quam chronicorum suos ducunt natales. Et licet omni tempore salutare transpirationis insensibilis opus intercipi possit: nullum tamen tempus ad istam impediendam tam aptum est, quam hyemale; unde observantia est frequentissimæ, tunc morbis latralibus, pulmonum inflammationibus, lethargis, gravedinibus, raucitatibus, tussibus, pectoris, latrum, lumborum capitisque doloribus, vertiginibus atque apoplexiis, sicuti antiquissimus Medicorum parens, HIPPOCRATES *Sed. III. aph. 23.* & LOMMIVS *Observ. Medicin. L. 3. p. 273.* annotarunt, præ reliquis anni temporibus homines divexari.

§. XXVII.

Quo major frigoris gradus, eo major est aeris compres-

sio,

sio, quo major hæc, eo gravior magisque elasticus est, & quo
gravior aer, eo major in illum e corporib[us] partium ignearum fit
transitus. Senes ergo ob minorem caloris gradum ejusmo-
di aerem frigidum minus juvenibus sufferre possunt. Quum
enim illorum vasa, humores vehentia, jam jam valde exsiccata,
collapsa & pallida apparent, ex quibus lenta sanguinis in
iis circulatio atque in plurimis capillaribus nulla dijudicanda,
hinc eò cautius corpora sua a frigore ut bene defendant, ipsi
consultum est; hinc, quando senes corpora sua frigori hyper-
nali in primis flatibus borealibus obiiciunt, mirum non est,
quod tunc horripilationes, raucedines, tusses, vires delaplas,
inquietudines, appetitum prostratum & non infrequenter apó-
plexiam persentificant. Iuvenes e contra robusti & optima
fruentes sanitate ob maiorem caloris gradum aerem frigidum,
graviorem atque elasticum lubentius senibus sustinent. Ho-
rum enim vasa legitima adhuc fruuntur nutritione, tono
gaudent optimo, pulsus cordis atque arteriarum vegetissimus
est, hinc frigidus, compressus atque elasticus eiusmodi aer
in vasa ipsorum delatus, in sanguine calidore sece expandit, hu-
morum circulum reddit celeriorem satisque sanguinis expediti-
te resistit.

§. XXVIII.

Nec sano ex maiori sereni siccique frigoris gradu corpo-
ri, si vestimentis probe munitum sit suumque aquisiverit com-
plementum, noxa accrescit, alias Norvegia, Suecia, Finnia,
Moscovia aliarumque regionum, quas radii solares de die vel
sparsim maxime oblique vel ad multos dies nullatenus illu-
minant, incolæ præ aliis, regiones meridiem versus inhabi-
tantibus, debiliora haberent corpora matiusque naturæ fa-
tisfacerent, in quibus tamen contraria res est. Maximo enim
corporis pollut robuste, ossa ipsorum, musculi, vasa, viscera
totaque corporis compositio compactioris est naturæ. Qui-
dam illorum longa corporis incedunt proceritate, alii

qua-

quadrata nutriunt atque ostendunt corpora; ipsorum sanitas a frigore raro periclitatur, hinc etiam longevos eos esse, sciens, ex nulla alia ratione, quam quod serenus, frigidus, compressus atque elasticus aer, in regionibus septentrionalibus hyeme porissimum regnans, cum humoribus permixtus in iis a calore naturali sese expandat, quo solidorum & fluidorum motus atque progressus mirifice adaugentur, hi vero quo expeditiores sunt, eo sanior vita estimanda est.

§. XXIX.

Quodsi vero aer frigidus atque elasticus (§. 28.) corpora, heterogenesis referta humoribus, cacoehymica, calculosa, arthritica, hypochondriaca, scorbutica, malo infecta venereo, immediate tangit, conterius sequitur efficitus. In hisce enim tam solida, quam fluida nec legitimum tonum nec sanguinis possident temperiem, hinc ex corporibus vestimentis non probe munitis, partes quando ignea (§. 25.) quæ solidis ac fluidis sufficientem adhuc & motum & progressum conciliant, morborumque graviora a corporibus abarcere symptomata, in frigidum exeunt aerem, tam solidorum motus quam fluidorum retardatur progressus; transpiratio impeditur, humores incrassantur, condensantur, impuriores redundunt, vasa ob maiorem cohaesionem oppilantur atque a tosno suo magis deiciuntur; hinc cacoehymicos mox algos, mox aestus per vices inquietat, appetitus in illis est spurius, eorum corpora occupat lassitudo omnisque corporis animique filetus vigor. Calculosi immanes s̄pius ab aere frido patiuntur cruciatus ac tormenta, in primis si eorum intestina debilitata sunt, quæ a flatibus plerumque ultra modum dolorifica cum sensatione expanduntur. Hi enim quando intestini coli flexuram sinistrum versus renem distendunt, hoc sinistrum premere renem, qua pressione fit, ut calculus antea immobilis ac in quiete positus e loco suo dimoveatur & in cavitatem pelvis coercentur,

in

in quibus dein partibus, nerveam irritando, corrodendo ac vellicando tunicam, dolores excitantur exquisitissimi. Quandisque observatur, calculum majoris magnitudinis e loco suo in ureterem intrusum ibique impactum minorem huius peripheriam in sarcininis ampliare peripheriam, qualis casus in *Theatro Anatomico Argentoratensi* a me aliisque Medicinae Studiosis, qui Anatomicis B. Prof. SALTZMANNI interfuerunt sectionibus, vissus fuit. Vbi hoc contingit, ægrotantes maximo cum ejulatu strangulantur. Nec minus arthriticis frigus officit; in iis enim transpiratio, qua materia salino-serosa ac tartarea amandari debent, impeditur, qua intercepta, partes tartareae seroso-salsæ a peripheria corporis ad centrum, hoc est, nobilita viscerum retropelluntur, ibique stases, inflammations, corrosiones, vellicationes, dolorum sensitivorum cautias, suscitant; quæ si sphacelo corripiuntur, mors acceleratur. Hypochondriaci, quorum sistema nervosum debile, ventriculus, intestina ac reliqua vasa tono destituta, cruditatibus, humeribus crassis minusque fluxilibus infarcta, frigoris vim peracte lentiant: flatum enim cito datur proventus, qui intestina distentando in regione lumborum spasticos, ventriculi, nauseam, pectoris, angustiam præcordiorum ac syncopen atque ex consensu nervorum ventriculi, qui ex capite hue excurrunt ac disperguntur, ob partes acidas, tunicam ventriculi nerveam corrodentes, in capite vertigines oculorumque obfuscationes producunt. Mala, quibus scorbutici obnoxii sunt, ob cuticularem a frigore interceptam perspirationem pariter exacerbantur, huiusque sola intermissione maxima humorum impuritas, in qua scorbuti genius situs est, suam, præservit in iis, qui virtu crasso, salsio atque infumato utuntur, genesis acquirit; unde major oris foctor, facies lividior, gingivarum major ad putredinem dispositio, ulcera maligniora, maculae lividissimæ, major ad sphacelum propensio, dolores

fixio.

fixiores, periculosiores spasmi ac convulsiones, tormina ventris frequentiora, tremores artuumque contracturæ enatuntur pertinaciores. Adde miasmate ac venereo conspurcatis inquinamento frigus nullatenus conducibile est. Ratio hujus in promptu est. Glandularum enim ductus, qui lympha tenaci caustica obfessi sunt, eo magis coarctantur, lympha in iis tenacior, spissior minusque mobilis fit, unde stagnat, ex stagnatione, tumor scroti, in inguine bubones, in gutture uvula ac glandularum adjacentium inflammationes, membrorum lassitudines, in facie & pectore pustulæ inque pedibus ulcera mali moris nunquam non florefcunt.

§. XXX.

Inter corpora suis in canalibus impuros vehentia succos (§. 29.) merito podagrifica, chiragrica, erysipelacea, ischiatica, exulcerato ægrotantia cancero referuntur. Hæc quantis ab admisso frigido acre affligantur doloribus, quotidiana docet experientia. Materiæ enim vitiæ tartareæ acris, qua podagrici scatent, in extremitatibus vasorum pedis minimorum ob pullum arteriarum in his partibus debilorem atque ascensum perpendiculararem cum sanguine progressus sub benigna aeris temperie latus est: simul ac vero frigus, quod pedes fugere nequeunt, accedit, cruentem mobilem incrassat et usque motum defraudat. Hæc materia flagrans sub corporis quiete vermium æmulatur mortuus, ab hac inflammations tumoresque in conspectum veniunt. Quodsi vero partes, durante insultu, morbosæ refrigerio exponuntur, & materia vellicans aeris appulsa sanguinis retrocedit, caput inde dolere, cor vehementer palpitare, pulmones difficultate spirandi laborare, stomachum vomitare, omnesque vires tunc prostratas esse, inflammatione ac sphacelatione denique ventriculi atque intestinorum vitam eripi, observantia est. Quæ truculentia in Chiragra, erysipelate reliquisque symptomata

non

non minus s̄epissime contingunt. Æstivo autem tempore,
quo sordes excrementirix per subcurvata copiosius & liberius
us distillantur spiracula, paroxysmi silent.

§. XXXI.

Vtriusque sexus personæ, quæ habitus sunt spongiosi, que
exilia habent vasa & quæ in luxu otiosam frequentius ac se-
dentariam agunt vitam, plus sanguinis, quam eorum vasa ca-
pere possunt, gignunt; hinc in insignes sanitatis emolumenntum per
ramificationem ac propagationem venæ splenica hæmorrhoida-
lem abundantem & superfluum per anum exonerant sanguineum.
Hic si fluit, fluxus audit hæmorrhoidalis, qui ab ar-
thritide, podagra, calculo aliisque corporis morbis præser-
vat ferocissimis. Quodsi vero emanet, dictorum morborum
generationi materia præbetur secundissima. Nulla autem
re muneris sui magis obliviscitur ac cohibetur, quam im-
provida aeris frigidi admissione corporisque refrigeratione.
Frigus enim condensationis sanguinis vasorumque collapsio-
nis ac constrictions esse causam, ex dictis (§. 24. 25. & 27.)
patet. Vnde, ut fluere desinat, necesse est. Non unum, sed
plura mihi nota sunt exempla, quæ post fluxus hujus salutari-
ris factam a frigore emanationem vomitum cruentum passa
sunt. Nec id mirum est: Sanguis enim in venis hæmorrhoi-
dalibus nullum inveniens exitum per ramum splenicum in va-
sa ventriculi brevia copiose recurrat, quæ, disruptis a copia
sanguinis eorum lateribus, cruorem irruentem in ventriculum
effundunt; hic vero spasmodice affectus, sanguinem e fundo
per œsophagum atque oris rejicit aperturam.

§. XXXII.

In sexu feminino per oscula venarum uteri atque vagi-
nae superfluuus sanguis singulis salutariter excernitur mensibus,
qui si rite effluit, corpus animusque viger. Sed frequens nos
edocet praxis, mentis suam multoties mutare periodum vel

penitus negligi, unde corpus statim ægrotat mentisque vigor atque alacritas perit. Quodsi in irregularis huius fluxus vel eius obstructionis inquirimus causam, nimiam corporis refrigerationem præter virtus incongrui animique pathematum in culpa esse excessum, audimus. Atque irregularitas vel obstruc^tio mensium a frigore facilime infertur. Séxus enim ignobilioris pudenda præ nobiliore aeri frigido liberius expnuntur, hinc minus mirandum, quando tempus debitum lumen minatur vel jam instat, quod cursus illius ex dictis (§. 24. 25. & 27.) pervertitur vel retinetur. Exinde palam sit, gravissimos corporis pullulare morbos. Periculosissem etiam vel ex naribus vel ex pulmonibus vel ex stomacho, quæ huius inversione per os expnuntur, oriuntur haemorrhagiae. Tota massa sanguinea in legitima sua crassi temperieque viciatur, omnia vasa ac viscera nimios ob infarctus tonum ac robur amittunt. Ventriculus chyli alimentosi loco acidæ gignit cruditates, inde saepissime ad vomendum concaus, vata laetæ cruditates ex intestinis absorbendo per ductum thoracicum cum sanguine in vena subclavia commiscent; ex quo, quum lympha purior, partes nutriens, separari nequeat, malus fit corporis habitus, facies aspectu luridi lividique fit coloris, animum moror ac tristitia occupat, ambulando vel ad ædium scalas ascendendo spiritus abbreviatur, appetitus evanescit, & si quidam adeat, minus sana concupiscit, cœdinatus pedes occupat tumor, omnesque vires prostratae sunt. In aliis mala ingrauescunt. Quibusdam cachexia, febres lentæ & hecticæ, quibusdam erysipelas ac rheumatici superveniunt dolores. Qua symptomata, mensibus iterum in ordinem redactis, cessant: sed curatio non est minimi, sed maximi momenti: illorum enim vehementia non multum solun Medico facili negotii, sed saepius etiam, omnibus medicamentis in auxilium vocatis, spem recuperandæ valetudinis illudit.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Gravidis, quando parturiendi instat tempus, frigus diffi-
cilem & valde laboriosam fœtus reddere exclusionem, & que
ex antecessis (§. 24. 25. & 27.) elucet. Nec aliquem latere
potest ratio, ob quam, excluso jam fœtu, post refrigerationem
corporis lochia exstillare sinant, & quare hisce cohibitis in
vtero ardor & dolor, in regione umbilici, tormina & borbor-
rygmi, lumborum, punctiones, thoracis, angustia praecordio-
rum, singultus spirandique difficultas, capitis, cephalalgia,
phrenitis, deliria ac denique mors vitam finiat.

§. XXXIV.

Generibus morborum, qui a frigore (§. 26. 27. 29. 30.
31. 32. & 33.) nascuntur, alii præterea accententur quamplurimi,
qui satis superque de aeris frigidii in corpus humanum
testantur potentia. Nos enim, vi experientia, sentimus, una
parte refrigerata, cum toto corpore frigus communicari: hu-
jusque ratio non est occulta: Nam partes ignea & frigidas in par-
tes (§. 27.) seu humores transiunt frigidos, hi vero sanguinis
circulo iterum redeunt & cum massa sanguinea se se commi-
scerent, qui aliquo modo ab igneis sanguinis partibus iterum
fluidiores sunt; attamen totam massam non satis calefaciunt,
hinc cohæsio partium fluidarum maior, hinc minor vasorum
expansio, hinc horum collapsio, detumescientia horroreque
totius corporis. Inprimis autem nudi pedes a stratis lapideis
& pavimentis refrigerati totum refrigerant corpus. Partes
enim ignea ex pedibus in lapides transiunt, unde aliæ a par-
tibus corporis superioribus in perfrigeratos transiunt pedes,
unde tonus intestinorum, ventriculi aliorumque viscerum da-
mnunum capit, in quibus vasa debilitane ac constringuntur
potissimum hepatis, ex quo, constrictione facta, bilis per du-
ctum cholodochum in intestinum duodenum majori propellit
in copia atque ob fugatas particulas igneas, qua vas-

rum tono inserviunt, & chylus & bilis ibi nimis diu commorantur, hinc chylus cum bile commorata intestinum concipit motum, quem termina ventris, borborygmi & diarrhoea sequuntur. Hie ingeniosi Venerisque amantissimi reminiscor pictoris, qui ob pilularum mercurialium abusum ad quinque & sex plerunque dies occlusam habuit alvum illamque pertinacissime constrictam vel pericillo suo, oleo olivarum ilito vel pedum denudatione atque ambulatione in pavimentis frigidis pro lubitu reseravit, siccq; ad officium suum revocavit.

§. XXXV.

Omnium humorum, quos nostrum corpus in suis vasibus recludit, mobilissimæ ac volatilissimæ nature sunt Spiritus animales, qui corpori sensationes omnesque motus largiuntur. Hi autem ob minorem respectu aliorum fluidorum particularum cohesionem partes igneas in aerem frigidum, corpus tangentem, per minima oscula cito ablegant & quo magis corpus a vestimentis est denudatum, eo magis particularum ignearum ex iis fit transitus: quo maior enim est aeris contactus, eo maior illarum transitus, inde reliqui spiritus animales spissescunt, lentius in partes influunt, hinc minus haec moventur, levius minuantur & tandem frigore aucto, omnis motus ac sensus perit.

§. XXXVI.

Pars seri purior a frigore eadem ex ratione (§. 25.) crassior minusque aptus sit ad gelatinam solvendam, quare praeterea saliva & liquor pancreaticus, a sero trahentes originem, spissitudinem acquirunt, qua ciborum carceres intime minus recluduntur; ex quo chyli cruditates, spissitudines, motus humorum retardatus, flaves, atrophia, cachexia, hydrops &c. pronascuntur. Praeter haec, quia constat, sanguinem spiritus animales, serum partesque salino-sulphureas rubicundas constitueri, ita ut haec, in seri interstitiis involuta, per vasa circumlum suum peragant, patimodo ob particulas igneas a sero amif-

amissas, Medicum latere non potest, serum coagulati partesque terrestres præcipitari: factò igitur coagulo & præcipitatione stasis infestat, quæ ob accedentem novum sed minus fluxilem sanguinem magis magisque exacerbatur, dum nimia vasorum, ob motum intestinum vitiosum, extensione atque expansione, inflammatio, pus, abscessus, sphacelus omnisque motus ac sensationis cessatio, ex his denique mors pro-tuberat.

§. XXXVII.

Partes ignæ dum e musculis egrediuntur, hi mox sub-sident & coarctantur, mox aliquo modo iterum incumescunt & expanduntur. Musculis enim frigefactis & subfessis parti-cularum ignearum ex vicinis novus fit accessus, unde in iis musculis, ex quibus ignæ sunt egressæ partes, fit subfidentia & coarctatio; in iis autem antea subfessis, in quos particula-rum ignearum transitus factus fuit, dilatatio, quæ vero iterum non diu durat, quia ignæ sanguinis spirituumque animalium particula de novo transirent; quæ diversa actio apud Medicos tremoris nomine insignitur. Atque, maiore frigoris adauerto gradu, maiore quoque in copia ignæ exirent particulae, qui-bus nimia in quantitate amissis, paucæ adhuc relicta ad mu-sciorum expandenda vasa ineptiores sunt, hinc ut diversa actio sive tremor cesseret, sequitur: si que hic frigoris gradus diu corpus afficit, membra non fiunt solum rigida, sed & mu-sciorum & membrorum rigiditatem atque immobilitatem ea, quæ (§. 35.) innui, concomitantur.

§. XXXVIII.

Quum universa cerebri substantia iuxta VIEVSSENIVM in novo suo Systemate vasorum, BERGERVM in sua Physiol-o-gia, RVYSCHIVM in Epist. XII. & Thesaur. Anat. variis in locis atque HEISTERVM in Compend. Anat. tenerima ac vasculo-fa sit, vascula vero cerebri, uti RVYSCHIVS artificiofis suis ea de xtre exhibuit iniectionibus, stupenda sint exiguitatis, ad-

co,

eo, ut corum extremitates nec armato oculo, nisi cera infusa coloratae sint, in sensum cadant, hinc facili concludere licet negotio, cerebrum partes igneas refrigeratione citissime amittere, id quod etiam spiritibus obtingit animalibus, unde reliquum fluidum, in vasis cerebri praesens, spissius sit & latera nervorum coarctantur, hinc sanguinis per vasa cerebri & spirituum animalium per nervos lenti procedit transitus, unde hemicrania, apoplexia, syncope, paralyticus aliquique affectus sopotosi derivantur.

§. XXXIX.

Ex inferiori cerebri ac cerebelli substantia medullam oblongatam ad magnum ossis occipitis foramen elongari, perque hoc ab illa per collum & spinam dorsi medullam spinalem in situ erecto perpendiculariter extendi, ex anatomicis res evicta est. Tam medulla oblongata, quam spinalis sunt principium omnium nervorum, qui per totum corpus distribuuntur, quibus si particularum ignearum copia abest, latera ad se invicem coeunt, quibus coarctatis, influxus fluidi nervec profluiroris gradu vel minor vel nullus, unde vel visus hebetudo vel gutta Serena, auditus difficultas vel surditas, olfactus diminutio vel amissio. A summe perfrigerato collo apoplexia & paralysis, a refrigerato dorso cessantem ob influxum spirituum animalium in longum intestinorum tractum, termina ventrisque dolores ob aerem, intestina nimis expandentem, sentiuntur.

§. XL.

Sicut angustissimi & tenerimi nervi (§. 39.) a frigore facilior, quam reliqua robustiora eaque capaciora vasa dampnum capiunt, ita & minima ac tenerima glandularum vasa, amissis ob frigus igneis particulis citissime subsident, serum in iis stagnat ac coagulum concipit; novo vero humorum accessu carum expanduntur latera, unde tumor parotidum, tonsillarum, glandularum naris, aspera arteriae ac laryngis, unde gravedo & raucedo, inducitur. Ex quarum obstructione dolores

lores sunt pungitivi. Quando vero humores stagnantes re-solvuntur atque per os illorum sit reiectio, salivatio, & purares, coryza appellatur. Quodsi e contra ex nulla causa re-solvuntur nec fluxiles sunt, in inflammationem, angina mor-bum, & pus tandem degenerant.

§. XL.

Ad minima & tenerima vasa (§. 39. & 40.) metito quo-que referuntur ea, quæ in membranis & cartilaginibus divi-ricantur. Hæc quia minimam fluidi portionem vehunt, igneæ partes in frigus, corpus comprimens, transiunt mobi-lissimæ; hinc coarctantur vasa, quæ in digitorum manus ac pedis excurrenti extremitates, ergo sanguis ibi spissus ac tenax fit, ergo in principio circulus sanguinis in his partibus inor-dinatus est, ex quo pruritus ac forniciatio sentitur. Lympha, quæ articulorum lubricationi inservit, coagulatur & tartarus præcipitatur, quare hic non amplius solutus ad latera appo-nitur, unde in extremitatibus artuum superioribus, scapula nempe, clavicula, os humeri, cubito & manu, atque inferio-ribus, scilicet femore, tibia & pede, dolores, triturationes ob-cessantem lymphæ insluxum, chitagra, gonagra ac podagra ob tartarum præcipitatum tragedias suas ludunt sævissimas.

§. XLII.

Nasi eminentia atque auriculæ ob paucorum nervorum vasorumque sanguiferorum minorem numerum praæ manuum pedumque digitis sensum citius adhuc amittunt, quæ partes si intenso frigori nimis diu exponuntur, stagnationem ac cor-ruptionem humorum, necrosis, quæ militibus, hyeme, milita-ria servitia atque excubias agentibus, frigidissima, frequens est, sequitur.

§. XLIII.

Sol ab æquatore tropicum versus borealem quo magis se movent, radii solares in terram eo minus oblique splen-descunt. Illud autem tempus, quo radii minus obliqui sunt

D

& sol

& sol ad arietem perynit ab incolis hæmisphærii borealis Ver nominatur. Sol igitur ad nostram Zonam temperate frigidam quo magis visu optico proprius accedit, illius radii non in majore solum copia in nostram incidunt terram, sed noctes etiam breviores & dies longiores sunt: ergo aer & terra maiorem particularum ignearum absorbet copiam, unde in aere & terra respectu hyemis (§. 22.) maior adesse debet calor. Ob maiorem vero terræ calorem particulae aquæ leviores minusque cohærentes ex terra calida in aërem exhalant, quæ in aërem elata & ponderosa fatis factæ una cum particulis igneis in terram recidunt frigidumque relinquunt aërem, unde veris tempestatum inconstantia, multorum morborum causa, petenda est.

§. XLIV.

Ob majorem tempore veris calorem (§. 43.) non potest non fieri, ut aer a statu suo violenter compresso (§. 16.) in quo maxime hyemis atque autumni tempore est, ad naturalem magis recedat, hoc est, vi experimentorum (§. 15.) allatorum, sese expandat, levior & rarior fiat. Aere leviore & rariore extra nos existente, aer, in sanguine reliquis humoribus fluens, vim suam elasticam (§. 16.) exercet. Diminuta enim aeris exterioris resistentia, nostri corporis interior sanguinem atque omnia expandit vasa, quare & circulus sanguinis, pulsus cordis atque arteriarum vegetiores ac celeriores observantur, venæ hyeme collapsæ, vere tumidae apparent, facies hyeme pallida ac cutis superficies rugosa & frigida, vere rosacea & calida intumescit, quare & transpiratio felicius ac liberius vere, quam hyeme, qua, ob retentam tunc a frigore transpirationem, magna partium heterogenearum & corpori nocivarum in sanguine generatur copia, futuris pabulum præbens morbis, succedit.

§. XLV.

§. XLV.

Salutaris, qua serum tenue & volatile per poros cutis & bronchia pulmonum excernitur, transpiratio vere quidem melius, quam hyeme perficitur, sed ob frequentiores tempestatum mutationes (§. 43.) ea multoties impeditur, qua cohita, corpus laeditur, dum hoc ad morbos edendos fertilitatem acquirit. Nullum autem anni tempus nullaque coeli constitutio tam fallax atque inconstans est, quam ea, quae in fine mensis Februarii, per totum Martium atque Aprilem in atmosphera nostra tumultuatur. Dies his mensibus mox calidi & tranquilli, mox frigidi & furiosi, mox pacati & sereni, mox ventosi ac pluviosi sunt, adeo, ut cum flatu austrieno pluviae non raro tanta in copia decidant, ut flumina terrae planitiem inundent, quae insalubris aeris tempestas variorum morborum, epidemicorum inprimis & febrilium fœcunda genitrix est.

§. XLVI.

Frequens vere tempestatum vicissitudo (§. 43.) qua partes serose salino-sulphureæ sive serum tenue & volatile (§. 45.) e corpore transpiratione mox amandatur mox retinetur, efficit, ut, ex transpirationis irregularitate aerisque vernalis inclemencia morbi sint familiarissimi. Humidus enim aer, qui in veris principio in atmosphera regnat, serum excrementium in poros suos recipere non potest, quum ejus pori jamjam a particulis aqueis, unde humidi acris nomen enatum est, obfessi sint. Imo partes humidæ, in aere natantes, poris cutis, quos immediate tangunt, non adhaerent modo, sed in eos etiam ingrediuntur, ergo extremos corporis poros obstruunt, hinc corpus transpirare cessat. Atque aer frigido-humidus, simplice aere humido, multo pejor est: partes enim ignæ e corpore magna in copia in frigidum dum transirent aerein, serum excrementium spissum fit, ejus vero spissitudo humido adhuc augmentatur aere, qui poris cutis sece insinuando fi-

brasque relaxando, partibus serosis, excretioni dicatis cuticulae, egressum impedit. Nec minus venti humido frigidi, qui nihil sunt, nisi aeris cum particulis levioribus aqueis ex una regione in aliam vehementior & celerior motus progressivus, cohibent transpirationem. Impedita autem hujus transpirationis ratio in copiosiori particularum ignearum amissione, quæ in fugitivum transeunt aerem, quarenda est.

§. XLVII.

Quodsi humidus aer (§. 46.) simul sit calidus, qualis austrii inferunt flatus, corporis nostri quidem calor calore aeris exterioris augetur; ita, ut volatiliores excrementitiae partes ab humoribus separantur; sed ob aerem simul humidum, qui non solum nullas alias humidas in se recipit partes, sed poros etiam cutis, in eos se miscendo, obstruit, per filtrum cuticulare transudare nequeunt; hinc primum ibi stagnant, acrimoniam concipiunt malique moris induunt genitum, quæ tandem sanguinis circulo atque appulso humorum fluxiles iterum factæ, a peripheria ad centrum dextiores redeunt ac pro diversitate locorum ac viscerum, quæ occupant & molestant, variorum morborum causæ sunt.

§. XLVIII.

Morbos, si hyeme serena & tranquilla rariores vel saltem minus periculosi fuerint, ineunte vere frequentiores esse & periculo non vacare, attentos in causas rerum praticos experientia docet. Atque a morbis corpora quando offenduntur, illorum offendit aeris injuria atque inconstans (§. 43-47.) potissimum attribuenda est.

§. XLIX.

In variis vero partibus humanum tempore inconstante vernali offenditur corpus. Aere enim humido eoque calido existente, nostri corporis ignæ partes, quæ semper majorem caloris gradum possident, quam aer humidus, transeunt, excre-

crementitiae autem serosaes partes, quium ab aere jamjam humidio (§. 47.) recipi non possint, vel in subcutaneis remanent spiraculis ibique rheumatismos ac pruritus excitant, vel ad interiora revehuntur, sique in vasa, lympham pro articulorum lubricatione ferentia, cordis atque arteriarum pulsu coguntur, ibi subsistunt arque ob acredinem, mora auctam, vas a constringunt, vellicant, ac fibras nerveas corrodendo animo doloris sensum imprimunt. Hinc in principio veris podagra, gonagra, chiragra, arthritis vaga & fixa atque ischias vel repetunt vel futuros annunciant paroxysmos. Hinc & CELSVS L. II. C. I. affirmat: *Eos morbos, qui in articulis nervisque modo urgent, modo quiescent, maxime vere & inchoari & repeti.* Pari ratione materia excrementitia in capitis membranis stagnans easque stricatura spastica afficiens cephalalgiam, hemicraniam ac clavum producit. Quin & oculorum inflamatio, aurium tinnitus, raucedo, tusses, Odontalgia, Peripneumonia, Pleuritis, Cardialgia, Colica, Diarrhoea eadem ex causa tunc temporis homines graviter affligere solent. Quare optimi Medici CELSVS c. l. atque HIPPOCRATES Sccl. III. aph. 20. *infantas sanguinis profusiones, morbum Comitalem, anginam, arthritides, gravedines, tusses, lippitudines, abscessus, pustulas plurimas ulcerosas, rheumatismos, variolas, morbillos, febres catharrales & synoebas vernali tempore homines invadere, in monumentis suis nobis reliquerunt.*

S. L.
Plerumque sit, ut iniquissimas, impetuosas maximeque irregularis tempestates, amoenissimum atque jucundissimum ultimatim sequatur tempus, ubi benignior, pacatior, lenior ac suavior aer calore suo temperato omnia recreat. Tunc gramina in pratis ac campus crescere ac virere incipiunt, arborum atque herbarum flores resipientem ubique spargunt odorem, copio-

fissimum volatilium, natatilium ac reptilium genus nec non quodlibet fere animal sui simile eo tempore procreare annuitur. Ex quibus temporis salubritas præ reliquis anni æstimanda est tempestatibus. Hocce autem tempus in totos menses, Majum scilicet & Jurium, ut plurimum incidit. Ob maiorem enim, respectu priorum mensium, partium ignearium copiam aer tunc calidior, siccior, levior magisque elasticus est, qualis aeris temperies omnibus rebus calorem inspirat temperatum atque tam vegetabilibus, quam animalibus aqualem humorum conciliat progressum; hinc transpiratio æqualis conservatur, omnes se- & excretiones feliciter succedunt, corpus omnino viget animoque alacritas inest. Quare hacce vernali gratissima aura, optimos in studiis faciendi progressus, molarum filii opportunum inveniunt tempus. Atque aer superior quum vi experientia (§. 13.) levior ac purior sit acre inferiore, compressiore, densiore ac graviore, hinc in Academis Studiosis aliisque, qui studiis assiduam dant operam sive magis vitam agunt sedentariam, conclavia altiora & in superiore ædificiorum parte ad Orientem spectantia præ humilioribus, ubi aer crassior, impurior ac minus desiccatus est, commendanda sunt. Conf. pl. *beati G. W. WEDELII disput.*
de Diata Literat. §. LI.

Quum maximum hyemale frigus a minimo caloris gradu (§. 22. & 23.) dependeat, vernalis autem calor a maiore radiorum solarium gradu (§. 43.) exultet, æstivus calor a maximo horum gradu ut oriatur, sequitur. Sol enim vertici nostro quo proximior est, radios suos igneos eo magis perpendiculariter emittit, quo magis hi sunt perpendiculares, eo major particularum ignearum in aere & terra est copia; quo maior hæc, eo maior calor. Atqui æstate sol, quo cum cancro coelesti coniungitur, vertici nostro proximus est, suosque radios magis perpendiculariter emittit: ergo æstate calor in nostra zona

zona respectu frigidioris maximus, respectu vero torridæ minor est. Ergo aer æstivo tempore levissimus ac rarissimus existit, ergo minori agit in corpora respectu aeris vernalis resistentia, ergo quoque corpora minus premunt, remittente vero aeris exterioris resistentia & pressura, sanguinis aer sese magis adhuc expandit: hinc sanguinis fit rarefactio, ex qua eius resolutio & turgescentia generatur.

§. LII.

Verum est, calorem æstivum calorem sanguinis in pulmonibus temperare haudquaquam, quin potius affirmandum, sanguinis, in pulmonibus contenti, augere calorem, quia in parte sanguinis calore aucto, eius quoque rarefactio augetur, unde pulsus cordis atque arteriarum celerior observatur, nec minus nimia seri dissipatio ac maior spirituum amissio promovet; quibus vero amissis, sanguis fit spissus atque acrimoniæ concipit, unde corpus humanum pariter ad morbos disponitur.

§. LIII.

Quamvis vero ex ferventissimo æstu nimii sudores, cum quibus magna spirituum animalium serique tenuissimi copia (§. 52.) dissipatur, e corpore proliciantur, unde corpus in morbos precipitat; hic tamen æsus nec senibus, hypochondriacis, podagricis, arthriticis nec febri quartana laborantibus aliisque, quorum cutis ob maculas epaticas disformis & quorum viscera infarcta atque obstructa sunt, intestus est. Horum enim omnium massa sanguinis partibus est conspurcata heterogeneis, quæ in ipsorum salutem expeditiori ac celeriori sanguinis circulo per apertos curiæ tubulos foras protrudi debent; hæc autem exercitio non melius, quam æstate perficitur, hinc & aetas senilis optima æstate fruuntur valetudine. Senum enim calor naturalis in sanguine non abundat, sed isto potius eger, hinc calore æstivo igneæ aeris partes cum senum sanguine commiscentur, ita, ut mitis ac lenis cordis atque arteriarum

inde

inde proveniat pulsus, quo legitima ac saluberrima eorum transpiratio, quæ in senibus aliis anni temporibus plerumque vacillat, per poros cutis tunc temporis optime procedit, succedente vero legitima transpiratione, quæ innumeros a corpore morbos abarcat, corpus bene valet. Hinc & CELSVS sententia meæ egregie adstipulatur, dicens: *Senes æstate & autumni prima parte ratissimi sunt.* Autumni vero principium ideo senibus commendabile est ac patrocinatur, quia tunc tempes-
tis sicca adhuc atq; calida est, quim e contra omnis aeris constitu-
tio humida & frigida omnibus, natura imbecillibus, quibus etiam senes annumerantur, adversa atque hostilis sit. *Conf.*
Excell. Dn. PRÆSIDIS, fidelissimi quondam mei Praceptoris,
Medicin. Rat. System. P. III. C. VII. §. XXX. Pathol. Gen. Spar-
morum vehementia, a quibus hypochondriaci contorquentur, æstate calida, qua serum viscidum stagnans atque acri-
monia malæ indolis acida dissolvitur & per patulos cutis po-
ros, secretionem urinæ alvumque transmittitur, tolli solet. Im-
mænes & suribundi podagricorum atque arthriticorum do-
lores, qui ceteris anni temporibus sœvunt, conquiescent. Per-
tinacissima febris quartana, quæ medicamentis difficillime
prostigatur, quæque corpus ægrotans longissimis diuinum tra-
ctibus, horrescendis inquietavit ac defatigavit paroxysmis,
tunc solvitur, stagnans sub cute materia viscida ac livida,
maculas epaticas, squamulas ac furfures efformans curique
horripilationem inducens sub æstivo solis æstu minus appa-
ret, horrorque silet, atque alii morbi, ab infarctu hepatis, li-
enis, melenterii ac reliquorum viscerum orti, calore æstivo
vel diminuuntur vel penitus exspirant atque exulant, hinc æ-
stas plurimis medetur morbis: quare *Excell. Dn. PRÆSES,*
Medicorum Germanorum Princeps, c. I. in schol. §. XVIII. te-
statut: *Homines, æstivis mensibus, ubi transpiratio est maxi-
ma, & parum ægrotare & paucos mori.*

§. LIV.

§. LXIV.

Sed virginibus, tributum lunare nondum expertis, atque
juvenibus plethoricae constitutionis, quibus major particularum
ignearum copia in humoribus non deneganda, calor æstatis fer-
ventissimus periculi multum minatur. A calore eniū tam ex-
terior, quam interior aucto nimiam sanguinis expansionem
ac rarefactionem patiuntur: quum ergo aer exterior particulis
igneis iam jam nimis sit repletus, non multas ignes e corpore
plethorico ac calido insua interstitia recipere potest; hinc ma-
jore inquantitate juvenili in corpore retinentur, quibus intrus
retentis, sanguis in vasis suis nimis celeriter non movetur so-
lum, sed ob majorem etiam expansionem minima vasa, que
celeriori sanguini, appulli acrisque elasticitati resistere non
valent, disrumpuntur atque aperuntur, hinc ætas juvenilis flo-
rescens frequentioribus, largioribus atque inconsuetis æstatis
subiecta est haemorrhagiæ, que vel per nares vel os vomitu-
ac sputo cruento vel uterum manifestantur. Prater hasce
sanguinis effusiones juvenili utriusque sexus ætati non infre-
quens est vertigo, tinnitus aurium, obscuritas visus, cordis-
que palpitatio, quorum morborum causæ simili modo in ra-
refactione sanguinis inveniendæ sunt.

§. LV.

Æstate durante per diem calore ferventissimo, corpus
sudore disfluit, post solis vero occulum atque ante huius ma-
tutino tempore ortum pori cutis ob aerem humido-frigidum
occluduntur, partesque serosa salino-sulphureæ ac biliosa in
corpore retinentur. Quod si igitur quis corpus suum æstu-
anti diu committit solis calori, nec aerem humido-frigidum
nocturnum prudenter evitat, sed liberalius se ipsi exponit,
partium excrementiarum, occlusis tunc poris, cohabetur
transpiratio, unde morborum genesis non admiranda est.
Quare febris ephemera, synocha, causus, tertiana continua &

E

inter-

intermittens, biliosa ac cholerica, quæ humana æstiva tempestate contorquent corpora, a transpiratione, noctu & mane impedita, plerumque proveniunt. Sic ceterorum morborum genera, uti sunt vomitiones, alvi profluvia, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes ac genitalium putredines ab HIPPOCRATE Secl. III. aph. 21. & CELSO L. II. C. I. inter morbos æstive familiares posita, ob transpirationem interceptam commodum tunc inveniunt locum. Atque febres tertiana, hac homines inquietantes tempestate, non tam multo horrore, quam potius intensissimo æstu corpora desatigant. Fœminam, ex generosissima stirpe natam, recenti adhuc teneo memoria, quæ, splendido in convivio postquam cum hospitibus generosis generose vinum Hungaricum potaverat, cum amicis suis in scapha, in seram usque noctem navigando, tempus transigebat, sed aliquot dies post febri tertiana, non magno horrore, sed intensusstimo stipata calore, corripiebatur.

§. LVI.

Solis motu ab æquatore versus tropicum siente australiæ, vis radiorum solarium decrescit. Post æstatis ergo principium, ut calor diminuatur, sequitur. Sed neutiquam, diminuitur: Augusti enim mense, quo sol iam diu versus Tropicum fuit australiæ motus, vis ac potentia caloris maxima est. Ad quod juxta dicta (§. 23.) contrario aequo argumentari possumus modo, ita, ut, quainvis radiorum solarium vis decrebat, ideo tamen calor non decrescat. Ratio est: quia terra igneis adhuc est particulis repletissima, quæ, vi radiorum solarium diminuta, e terra in aerem copiosissime transeunt atque atmosphæræ tam diu vehementissimum conciliant calorem, donec sole radios de die in diem in terram remotius emitente & particulis igneis magna in copia e terra successive egressis atque amisis, caloris gradus sensim sensimque diminuantur. Diminutio hæc mense Septembri potissimum sensibilis fit, quo sol in suo recursu in

in libram intrat, facto hoc ingressu, incoleæ hæmisphærii borealis, autumni tempus inchoari, dicunt. §. LVII.

Sicuti vere radii solares respectu astatim (§. 51.) per immensum aeris spatiū magis oblique in terram (§. 43.) sparguntur; ita quoque autumno ii aliter vibrari non possunt, hac rāmen cum distinctione, ut vernali tempore ad verticem nostrum propius accedant, autumno vero a vertice nostro remotius discedant. Illo tempore ignea solis partes a terra adhuc frigida atque ab aere itidem frigido absorbentur, hoc vero autunnali ignea particulae e terra minus refrigerata in aeream, ubi minor, ob radios solis magis nunc obliquos, particulae rum ignearum copia, cum partibus aquæs aliisque particulis minimis elevantur, quæ, in ejus altitudine nimia in quantitate congregatae, uniuersa nimiumque acquisitæ pondus, vel sub nebularum vel pluviarum decidunt formam. Haec partes aquose in poros terræ ingressæ, a partibus terra igneis frigidum in aerem rapiuntur atque vel nebularum vel pluviarum iterum cause sunt, que frequentissima tempestatum vicissitudo tamdiu durat, donec partes igneas terra amiserit, hinc in autumno aeris injurias ad medium usque Decembris experimur saepissime.

§. LVIII.

Aer autunnalis quo magis partibus aquosis aliisque heterogeneis est referens, eo crassior, densior, impurior, gravior minusque elasticus est, eo magis præterea corpus nostrum premit, eo citius cutis occludit poros, eoque plures impuritates corporis generantur, accumulantur ac depravantur. Circulus sanguinis fit debilior ac lentiō; ergo pulsus cordis atque arteriarum fatigetur, ergo sanguis non satius conteritur, comminuitur ac trituratur, hinc cohæsio justo major, hinc sanguinis crassities ac spissitudo, unde vasorum obstructio & tertilium in corporis partibus prompta fit morborum productio.

§. LIX.

Quum ergo vasa corporis ob aerem crassum ac densum (§. 58.) obstructionem patiantur, sequitur, quod humorum affluxu præternaturaliter expandantur atque a tono suo dejiciantur legitimo: tono vero vasorum destruto, humores per diuresin & diaphoresin secernendi hinc inde subsistunt, hinc minus mirandum, ut tempore tranquillo, humido, nebuloso, squalido & pluvioso capitù dolores, aurium tinnitus, auditus difficultas, surditas, Ophthalmia, visus heberudo, Odontalgia, epilepsia, paralysia, apoplexia, hemicrania, coryza, gravedo, tussis, angi-


na, catarrus, asthma, pleuritis, peripneumonia, diarrhoea, dysenteria, inensium obstructio, fluor albus, multifariae febres, cachexia, tumor pendulum edematosus, scabies, morbilli, variola, purpura urticata, impuritatem subcutaneam, affectus arthriticici, chiragrici, podagrarii, ischiatici, scorbutus morbi epidemi, quos anni praegressi sumus autumno experti, suas ludant tragedias. Ex quibus recentissimis morborum generibus facile colligere licet, autunnale tempus hominibus perniciissimum esse, nec aliud esse, quod corporibus tam extitalem minetur catastrophen, quam autumni injuria, quare & CELSVS L. II. C. i. tremor et apprime sic prodidit: *Vix quicquam ex his, scilicet morbis hyeme (§. 27. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41 & 42.) vere (§. 49.) astate (§. 55.) familia-ribus, in autunnum non incidit, sed ortuntur eo quoque tempore febres incerta, tennes dolor, aqua inter cutem, tabes, urina difficultas ac tensionis intestini morbus. Fit item levitas intestinorum, coxae dolores morbi que comitiales. Idemque tempus & diutinis malis fatigatos & ab astate, etiam proxima, pressos perimit, & altos novis morbis conficit, & quordam longissimis implicat, maximeq; quartanis, que per hyemem quoque exercent. Neque aliud magis tempus pestilentie patet, cuiuscunque ea generis est, quamvis variis rationibus nocet.* Atque Auctori huic gravissimo Medicorum parens HIPPOCRATES Sect. III. aph. 22. calculum ex ratione atque infinitis observationibus adjicit: dicens: *autumno multi etiam morbi astuti & quartana febres atque erratica, tennes, aqua inter cutem, tabes, urina stillicida, intestinorum levitates & difficultates, coxendicum dolores, anginae, crebri anbelitus, volvuli, comitiales ac melancholia homines invadunt.*

g. LX.

Ex antegressis ergo vis ac potentia aeris in corpus humanum satis superque perfecta est; nec facile quidpiam rerum non naturalium tam celerrime corpora vel ad morbos disponit vel hosce solvit, quam aeris natura, gravitas atque elasticitas, que pro atni temporibus, terra locis variaque domiciliorum habitatione diversa existit. Hanc aeris naturam ut calleat Medicus, Physicae, in primis doctrinæ de aere, maxima opera danda est. Quam si negligat Medicus, de rerum corporearum viribus, que Medico rationali cognitæ esse debent, judicium ferendi, impotentia laborat. Hinc etiam fit, ut maxima medicorum cohors ex studiis physici neglectu ægrotantes non rationaliter sed empirice curet. Qua perversa methodo quamplurimi, qui ad pristinam sanitatem pervenire posse, præmature morbi succumbunt vitamque finiunt.







DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS PHYSICO - MEDICA

DE

GRAVITATE AERIS EIVS QVE ELASTICITATE

IN
MACHINAM CORPORIS HVMANI
QVAM
FAVENTE NVMINE DIVINO

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE
ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

LEGITIME ADIMPETRANDO

Ad d. Junii Anni MDCCXXXIII.

H. L. Q. C.

PVPЛИCAE ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOНIT

AVTOR

CHRISTOPH. CHRIST. HOFFMANNVS
SCHLEVSINGA-HENNEBERGICVS

HALÆ MAGDEBURGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.